

Machabaeorum, qui proinde historiam quadraginta annorum continet ab initio regni Antiochi (A. C. 175) usque ad Simonis mortem.

Liber secundus Machabaeorum non est prioris continuatio, sed eandem continet historiam, ita tamen ut multa referat, quae ad prioris libri narrationem declarandam, et complendam opportuna sunt. Sunt ibi epistolae duae Iudaeorum Palaestensium ad Iudaeos Aegypti missae (Cap. I et II), episodium Heliodori, qui ad diripiendos templi thesauros a rege missus (scilicet a Seleuco Philopatore) ab Angelis flagellatus, et a facinore deterritus est (Cap. III); item Eleazari senis historia; matris invictae cum septem filiis martyrium (Cap. VI et VII), pluraque Iudae Machabaei, eiusque fratrum adversus Antiochi Epiphanis, Eupatoris, et Demetrii exercitus fortiter gesta (Cap. IV–X.V) quae in primo libro ommissa fuerant. Unde apparet utrumque librum simul comparandum esse, ut plenior, et ordinata Machabaeorum historia conficiatur: qua de re legi potest opus Fr. X. Patrizi: *De consensu utriusque libri Machabaeorum*. Romae 1856.

Quod pertinet ad librorum istorum auctorem, hoc imprimis statuendum est, non unum esse utriusque libri auctorem; quod quidem tum ex eo patet quod uterque liber eandem contineat historiam, tum ex styli atque linguae diversitate: primus enim liber hebraice scriptus est, ut Hieronymus testatur (in Prol. Gal.) et ex latina versione hebraicis referta aperte liquet; alter vero Graeca lingua, eaque eleganti, exaratus est, unde etiam Latina eius versio quam in Vulgata habemus ceteris eiusdem Vulgatae partibus elegantior est. Quisnam vero primi libri auctor fuerit penitus ignoratur. Videtur tamen non ante finem saeculi secundi ante Christum scripsisse; siquidem affirmat (1 Mac. XVI, 23) gesta Iohannis Hyrcani, qui patri Simoni successerat, annalibus Iudaeorum inserta fuisse: porro Iohannes Hyrcanus circa finem secundi A. C. saeculi mortuus est (A. C. 106). Ad secundum vero librum quod attinet de eius auctore nulla prorsus coniectura proferri potest; hoc tantum scimus ex ipsius testimonio (2 Mac. II, 24) eum quinque libros a quodam Iasone Cyrenaeo de hac historia conscriptos excerptisse, ac in compendium redegit, quod factum videtur primo A. C. saeculo.

II. De Libris Prophetiis V. T.

Praenotanda. Plures apud Hebraeos extiterunt prophetae qui antiquius *videntes* (Hebr. רְאִיִּים) appellari solebant, dein vero *prophetae* (Hebr. נְבִיאִים) dicti sunt, iuxta illud 1 Reg. IX, 9: « Qui enim *propheta* vocatur hodie, vocabatur olim *videns*. » Appellatio *videntis* ex eo orta est, inquit S. Basilius (praef. in Is.): « quia futura tamquam praesentia videbant » vel, ut ait Hieronymus, quia illum videbant quem ceteri non videbant, nempe Christum. Ceterum huiusmodi appellatio rarius occurrit in V. T. Communis et usitata appellatio est נְבִיאָה, seu *Propheta*. Notandum tamen est, huiusmodi vocem aliquando latiori, aliquando strictiori, alias denique strictissima et propria significatione in Sacra Scriptura usurpari. Latiori significatione propheta accipitur de viro qui divinam voluntatem exponit, vel de eo qui divinis laudibus concinendis operam dat, quo sensu Aaron dicitur Moysis fratris *propheta* (Ex. VII, 1): « et Aaron frater tuus erit *propheta tuus* », idest, interpret tuus, qui tuo nomine ad populum et ad Regem loquatur; et in 1 Par. XXV, 1 Asaph, Heman et Idithun praefecti cantorum a Davide constituti dicuntur « *Prophetare* in cytharis, et psalteris et cymbalis, » scilicet divinas laudes ad sonitum instrumentorum decantare. Alia vero strictior huius vocis significatio hominem designat, qui ex divina revelatione arcanas res et humano ingenio impervias sive praeteritas, sive praesentes, sive futuras cognoscit; quo sensu Samaritana mulier (Io. IV, 19) Christum vocavit prophetam: « Video quia *propheta* es tu » eo quod illi revelasset malam eius consuetudinem, quae ab eo naturaliter cognosci non poterat. Denique strictissima et maxime propria significatione propheta dicitur qui ex divina revelatione res *futuras* ex causis naturalibus minime cognoscibiles certo praenoscit, ac praenunciat, hoc enim est quod vox Propheta (Προφητης) iuxta etymologiam spectata (a verbo προφητεω) designat.

Apud Hebraeos, ut superius innuimus, plures semper extiterunt Prophetae proprie dicti, maxime Regum aetate. Horum munus multiplex erat. Imprimis enim a Deo missi sunt, ut futurum Messiam, iam protoparentibus non obscure promissum, ac futurum humani generis reparationem annunciarent, ut scilicet fides in Chri-

stum reparatorem apud Iudaeos conservaretur, ac novis revelationibus in dies confirmaretur. Alterum munus erat consulere moribus populi et divinae legis observantiae: quare magnam partem eos habuisse legimus in extirpandis abusibus, in impiis regibus corrigendis, et ad saniores mentem revocandis, saepe etiam in bellis gerendis aliisque politicis negotiis expediendis, quae cum populi electi conservatione ac prosperitate coniuncta erant. Munus propheticum non erat haereditarium quemadmodum sacerdotium, vel regia potestas, sed speciali Dei vocatione ex qualibet hominum classe eligebantur prophetae, et sacro etiam unctionis ritu consecrabantur. Ita ex. gr. Elias in prophetam unxit Elisaeum dum arando campo operam daret (3 Reg. XIX, 19 seq.); Isaias ex stirpe regia, Ieremias ex genere sacerdotali usque a natalitate in prophetam electus est, Amos ex pastoribus Thecae assumptus, et ita reliqui. Notandum etiam est, antiquiores prophetas plures habuisse discipulos, qui eos ubique sequebantur, et cum ijs convivebant, quorum ministerio prophetae utebantur. Ii vocari solent in Scripturis *filiis prophetarum* (4 Reg. II, 3, 5, VI, 2 etc.); ex istis scholis seu collegiis prophetarum prodit ille *cuneus prophetarum*, qui Sauli occurrit (1 Reg. X, 10), et turba illa *quinguentina filiorum prophetarum* qui ad ripas Iordanis Eliam in coelum euntem conspexerunt (4 Reg. II, 7).

Non omnes prophetae sua vaticinia scripserunt, aut canonicis libris nomen dederunt. Ita Elias et Elisaeus, maximi inter antiquos prophetas, nihil scriptum reliquerunt; sed nonnulla eorum vaticinia postea a sacris auctoribus librorum Regum et Paralipomenon literis mandata sunt; idem dicitur de Ahia Silonite, de Nathan, de aliis pluribus. Qui vero scriptos libros reliquerunt sunt numero decem et septem scilicet: *Isaias, Ieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, Oseas, Joel, Amos, Abtius, Ionas, Michaelis, Noham, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias et Malachias*. Ex his Isaias, Ieremias, Ezechiel et Daniel vocantur *prophetae maiores*, quibus additur Baruch, qui solet Ieremiae adiungi quasi appendix eius prophetae; erat enim Baruch scriba ipsius Ieremiae: reliqui duodecim ab Osea usque ad Malachiam vocantur *prophetae minores*, et ab Hebraeis in unum librum compinguntur, quem appellant Chaldaice *תרי עשר* (*there asar*) idest *duodecim*. Nemo autem ignorat laudatos prophetas *maiores* vel *minores* appellari non ra-

tionem auctoritatis, quae par omnium est; sed ratione tantum voluminum quae scripserunt, ita ut maiores appellentur qui maiores libros scripserunt, minores vero qui breviores et minoris molis prophetias reliquerunt.

De his itaque singillatim pauca.

A. *Prophetia Isaias.*

Isaias (Hebr. *ישעיהו*, idest *salus Domini*), patre Amos natus, qui regis Ios filius fuisse perhibetur, vaticinatus est sub regibus Ozia, Ioatham, Achaz et Ezechia (Is. I, 1). Vaticinia sua scripto consignavit, quae librum Isaias constituunt in LXVI capita distributum. Totus liber in duas partes dividi potest. *Prima pars* (a cap. I. usque ad XXXIX) multa vaticinia continet contra Iudam et Israel, nec non contra alias gentes, quae cum illis relationem habebant; speciatim vero praedicit eversionem regni Israel; expeditionem Sennacherib contra Aegyptum; vastationem Iudaeae ab eo peractam, eiusque exercitus prodigiosum excidium; item finalem Iudaeae vastationem et captivitatem Babylonicam; denique Philistinorum, Moabitaram, Idumaeorum, nec non Aegypti, Damasci, ac Tyri sortem. *Secunda vero pars* (a cap. XL usque ad LXVI) laetiora continet; scilicet, eversionem regni Chaldaeorum, exulum Iudaeorum liberationem ac reditum, Templi restorationem, et consequentem pacem ac concordiam Israelis cum Iuda usque ad Messiae tempora. De Messia vero, et hominum redemptione in utraque parte passim vaticinatur Isaias, imo nullus est inter prophetas qui tam clara et tam magnifica de epocha Messiana praedixerit qualia in Isaias libro leguntur. Unde Hieronymus bene de illo aiebat: « Non prophetiam mihi videtur texere sed Evangelium. » Isaias ceteros prophetas superat non solum splendore et multitudine oraculorum, sed etiam styli sublimitate atque elegantia. Grotius eum comparat Demostheni, Sanctius vero, Bossuet et Fenelon eum anteponunt quibuslibet profanis scriptoribus. Et revera hebraicus stylus in Isaias summum elegantiae apicem attingit; ubi vero auctor ad poeticum dicendi genus assurgit tam sublimis, tam vehemens, tam nobilis est, sive in conceptibus ac imaginibus, sive in verborum delectu, ut laudem omnem excedere videatur. Legantur specimenis gratia Cap. I et II ubi propheta Iudaeorum crimina vehementer insectatur, et novam Ecclesiam tamquam praesentem sub oculos ponit; Cap. V, ubi pariter populi scelera deplorat sub figura vineae

sterilis in direptionem traditae; Cap. IX et XI, ubi Messiae character et felicitas ab eo adducenda visis coloribus pinguntur; item magnificum canticum eucharisticum cap. XXVI; et, ut alia omittamus, vaticinium de humiliatione et excidio Babylonis cap. XLVII, et apostrophe ad Ecclesiam per Christum renovandam et fundandam cap. LIV et LX.

Notandum hic est nonnullos ex recentioribus Rationalistis negasse authenticam secundae partis libri Isaiae, ut fecerunt Paulus, Bauer, Gesenius, Ewald alique. Horum tamen opinio nullo alio fundamento inicitur, nisi praedictio apud rationalistas recepto, quod vaticinium proprie dictum impossibile sit, ac proinde non potuerint res futurae diu ante eventum tam clare et distincte enarrari; quod tamen falsissimum est ut philosophi ac theologi demonstrant. Ceterum omnia sive externa sive interna argumenta conspirant in demonstranda integri libri Isaiae genuinitate. Siquidem et titulus, ubi reges nominantur sub quibus Isaías prophetauit, spatium temporis totum complectitur quo totius libri vaticinia edita sunt: Agiographi posteriores postrema etiam Isaiae vaticinia passim laudant, ut 2 Paral. XXXII, 32, Eccli. XLVIII, 25, 28, 1 Esdr. I, 2 ubi Cyrus ad Isaiae vaticinium cap. XLIV, 28, et XLV 4-8 appellat, Zac. VII, 4, 7 ubi ad Is. LVIII, 5 respicit; denique, aliis omissis, Agiographi N. T. quamplurima ex libro Isaiae afferunt, etiam ex altera libri parte desumpta, et quidem sub eius nomine; praecipue vero ipse Christus qui (Luc. IV, 16-21) Isaiae verba cap. LXI in synagoga legit, et commentatus est: accedit constans et perpetua Hebraeorum traditio. Externa haec argumenta, internis etiam confirmantur. Primum enim sublimitas illa et elegantia styli, de qua loquuti sumus, non minus in altera parte quam in prima elucet, quae cum tanta sit, ut ceteros scriptores superet, quis audeat eandem partem alteri tribuere? Deinde phrases quaedam Isaiae propriae ibidem occurrunt, ut ex gr. *Sanctus Israel* (קדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל), quae ab Isaia frequentissime adhibetur pro nomine Dei, non solum in prima prophetae parte, sed etiam in eius sermone 4 Reg. XIX, 22 relato; in aliis autem scriptoribus solum quinque legitur, scilicet ter in psalmis et bis apud Ieremiam (Cap. L, 29, LI, 5) qui forte hanc loquendi formam ab Isaia mutuatus est. Alius dicendi modus est illud: *et vocabitur*, quo Isaías passim uti solet pro communi aliorum prophetarum formula: *et erit*. De-

nique multa occurrunt in altera parte Isaiae, quae ab auctore recentiori scribi non potuissent, ut est illud de Babylonis ruina nondum praedicta (Is. XLVIII, 4-8), cum tamen paulo post Isaiaem Ieremias illam discrete praedixerit (Ier. L, LI). Item auctor idololatricam passim in populo redarguit, quae tamen, post Iudaeorum regni everisionem, non amplius locum habuit.

Quae Gesenius, De Wette, alique in contrarium afferunt, plerumque in praconcepta opinione de vaticinii impossibilitate fundantur; nonnulla vero quae adducunt ex usu quarundam vocum ex. gr. *Servus Dei* (עֶבֶד יְיָ) ad Israel, vel prophetam ipsum designandum, *iustitia* (צִדִּיק) pro salute, et alia huiusmodi; item ex vivaci descriptione captivitatis Babylonicae quae scriptorem eosum indicare videtur; denique ex silentio Ieremiae de Isaiae vaticiniis, haec, inquam, omnia levisima sunt, nec quidquam contra perpetuam Iudaeorum et Christianorum traditionem valent. Quod enim voces nonnullae adhibeantur quae in prima parte prophetae non recurrunt minime probat auctoris diversitatem, siquidem argumenti diversitas voces illas poscebat: ita ex. gr. in Cap. LII et LIII de Messiae passione ac morte primum sermo fit, et ipse Messias *servus Dei* ibidem vocatur, non autem Israel vel propheta, ut adversarii falso existimant. Descriptio vero captivitatis Babylonicae ex spiritu prophetico explicatur, quo Isaías eventum postea futurum quasi praesentem cernebat. Ad Ieremiam quod attinet, si is vaticinia Isaiae non nominat recolendum est eius morem fuisse antiquiorum prophetarum oracula ad sensum referre, non indicato nomine auctoris.

B. *Prophetia, et Threni Ieremiae.*

Ieremias (Hebr. יֵרֵמְיָהוּ) filius Helciae Sacerdotis in utero matris sanctificatus, et in prophetam electus est (Ier. I, 1-10). Adhuc adolescens prophetare coepit anno decimo tertio Regis Iosiae (A. C. 629), et sub eius successoribus manus suam prosequutus est, scilicet sub Ioaehaz, Ioakim, Ieconia et Sedecia, qui sunt postremi Iudaeorum reges, sub quibus Ierusalem capta et vastata est, et captivitas Babylonica initium habuit. Cum Ieremias nunquam cessaret instantem calamitatem populo ac Regibus praedicere, ab iis male habitus est (Ier. XXVI, XXIX, XXXVIII). Capta Hierosolyma, a duce Chaldaeorum libertati redditus est: qua facultate usus propheta in regione Iudaeae permansit cum paucis qui ibidem re-

licti fuerant, et urbis ruinam suaeque gentis excidium flebili carmine luit. Denique in Aegyptum abire coactus perrexit vaticinari de flagellis in Iudaeos a Deo immitendis, et de futuris Aegypti calamitatibus. Quare Ieremias totus lugubris est, sed suavissimum ac planiorem habet stylum, et in lamentationibus elegiaci carminis nobile specimen praebet.

Distinguenda autem est *Prophetia* Ieremiae proprie dicta, quae LII capitibus comprehenditur, ab eius *Lamentationibus* quas Graeci *θρηνοις* appellant, Hebraei autem *kinoth* קִנּוּת, quae ad finem prophetiae seorsim leguntur appendicis loco. Iterum prophetia in duas partes dividi potest. *Prima pars* (I–XLV) Iudaeos spectat, *secunda pars* (XLVI–LII) exterarum gentes, Aegyptios scilicet, Philistaeos, Phoenices, Moabitas, Ammonitas, Idumaeos, Aelamitas, ac praecipue Chaldaeos et urbem Babylonis, quorum calamitates praenunciat et vivaci stylo describit. In prima parte multa quoque historica admiscet. Quaedam etiam inter tristia exhibet ad Iudaeorum animum levandum opportuna, quale est illud de fine captivitatis imponendo post septuaginta annos (XXV, 11), itemque plura huc illuc sparsa de venturo Messia et de novo foedere ab eo ineundo.

Ieremias tum lamentationum tum prophetiae auctor est, ut constans Iudaeorum traditio, et explicita auctoris attestatio in singulis fere capitibus, item posteriorum Agiographorum testimonia (1) demonstrant. Stylus etiam Chaldaicis refertus, et lugubris sermonis tonus epocham captivitatis evidenter praeserunt. Excipiendum tamen est Caput ultimum, seu LII, quod a posteriore Agiographo (probabiliter Esdra) additum est, fere totum ex 4 Reg. XXI–V excerptum; quod quidem in textu expresse monetur: caput enim LI clauditur his verbis: *Hucusque verba Ieremiae*. Additio autem illa facta est ut conclusio historica cum vaticinio coniungeretur, quae eius implementum sub oculos poneret.

Lamentationes poetice scriptae sunt carmine acrostico; scilicet literae initiales versuum vel singulorum vel ternorum sequuntur ordinem hebraici alphabeti, cumque id quatuor distinctis carminibus fiat recte ait Hieronymus: « *Ieremias quadruplex diversis metris necit alphabetum.* » Harum Lamentationum Ieremiam auctorem esse unanimes traditio probat, nec non inscriptio seu *praefati-*

(1) Cfr. 2. Paral. XXXVI. 20 seq. Dan. IX. 2, 1 Esdr. I. 1, Ecl. XLIX, 8, Matth. II. 18, XXVII. 9. etc.

tiuncula iisdem praefixa, quae licet canonica non sit antiquissima tamen est. Recenti eate Thenius communem persuasionem impetere ausus est, sed rationibus adeo levibus, ut non solum a Catholicis, sed etiam a protestantibus, et rationalistis communi consensu refutatus sit.

C. *Prophetia Baruch.*

Brevis haec prophetia (VI capita), ut superius diximus, Ieremiae adiungi solet eo quod Baruch Ieremiae scriba esset (Ier. XXXVI, 2–4, 28–32), et eius vaticinia veluti continuatio et confirmatio vaticiniorum Ieremiae habentur. Scripsit Baruch, ut ipse refert initio sui libri, « *in anno quinto, in septimo die mensis in tempore quo ceperunt Chaldaei Ierusalem, et succederunt eam igni* » scilicet, ut communiter intelligitur, anno quinto Iechoniae; quamvis alii diverso modo explicent hebraica verba, scilicet *anno quinto a tempore* (pro *in tempore*) quo Ierusalem capta est.

Baruch librum suum legit coram Iechonia, et universo populo, qui ieiunantes et orantes pecuniam collegerunt, et miserunt Ierosolymam (haec Babylone inter Iudaeos captivos facta sunt), simulque Iudaeis in Palaestina relictis piam orationem tradiderunt ad placandam Dei iram eiusque misericordiam impetrandam (Cap. I, II, III). Praedicit dein Baruch Divini Verbi Incarnationem, et in terris habitationem, ubi verba illa recurrunt toties a Patribus (saepae sub Ieremiae nomine) citata: « *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum. Hic advenit omnem viam disciplinae: et tradidit illam Iacob puero suo et Israel dilecto suo. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* » (Cap. III, 36–38). Tum Ierosolyma inducitur tamquam vidua filios suos alloquens, eisque futuram reparationem praedicens, cui vicissim propheta solamen praebet felicioris aetatis praedictione (IV et V). Denique Capite VI et ultimo recitatur epistola Ieremiae consolatoria et hortatoria ad Iudaeos captivos directa.

Librum Baruch hebraice scriptum fuisse certum est tum ex eius aetate, tum ex versionis Graecae indole quae hebraismis scaetet, tum ex versione Syriaca hexaplati nuper edita a Ceriani, in qua variae lectiones ex Hebraeo desumptae notantur. Hic vero hebraicus textus iam a tempore S. Hieronymi perditus erat, extabat tamen et adhuc extat Graeca eius versio in Bibliis Alexandrinis, et latina interpretatio ante Hieronymum confecta, quae in nostra Vulgata conservata est.

D. *Prophetia Ezechielis.*

Tertius inter maiores prophetas est Ezechiel (hebraice *יְחִיָּהוּ*) Hic Ieremiae coaevus, ipso tamen iunior, in Babyloniam cum Iechonia et decem millibus Iudaeorum captivus ductus est undecimo ante urbis eversionem anno. In exilio domicilium fixit iuxta flumen Chobar quod Mesopotamiam interfloens in Euphratem illabitur (Ez. I, 3, VIII, 1, XXIV, 18), ibique anno quinto suae captivitatis a Deo vocatus est ad munus propheticum, in eoque perseveravit usque ad annum suae captivitatis XXVII, seu XVI post Ierusalem ac templi ruinam (XXIX, 17). Quid post hunc annum praestiterit Ezechiel, et quousque vitam protraxerit Scriptura non refert. Iuxta antiquam traditionem hic propheta in odium Religionis occisus est, eiusque memoria recolitur in Martyrologio Romano IV. Id. Aprilis.

Prophetia Ezechielis obscurissima est praesertim in principio, ac in fine, quod quidem partim ex stylo oritur, partim ex symbolis ac visionibus quibus futura adumbrantur. Potest autem in tres partes dividi. *Prima pars* (I-XXIV) vaticinia continet ad Hebraeos directa ante urbis obsidionem, et expugnationem. In hac parte refertur celebris visio quatuor animalium quadruplici facie quae thronum Dei sustentabant, deinde prophetae praedictio de vicina urbis direptione, ac Iudaeorum dispersione in poenam eorum criminum. Quinimo initium obsidionis propheta quamvis procul ab urbe consistens, eadem die cognovit, itemque clare praedixit Sedeciam perforatis muris noctu fugam arrepturum esse, sed a Chaldaeis capiendum et Babylonem asportandum, quam tamen oculis suis visurus non esset (XII, 12 seq.): quae licet inverosimilia viderentur, adamussim impleta sunt (4 Reg. XV, 4-7). *Secunda pars* (XXV-XXXII) vaticinia exhibet adversus Ammon, Moab, Edom, Philistaeos, Sidonios, Tyrios, Aegyptios. *Tertia pars* (XXXIII-XLVI) vaticinia continet post excidium Ierosolymae prolata, ibique Iudaeos rursus reprehendit, sed mox consolatur praedicto fine captivitatis, et reditu in patriam, simul vero multa interserit de futuro Messiae regno, cuius magna descriptio habetur a Cap. XL usque ad finem.

Ezechielis liber hebraice scriptus est, stylo, ut ait Hieronymus, nec satis deserto, nec admodum rustico, sed ex utroque temperato: « principium autem et finem, inquit, tantis habet obscuritatibus involuta ut apud Hebraeos istae partes ante annos triginta non legantur » (Hieron. ad Paul.). Ista obscuritas occasionem nonnullis pra-

buit novem postrema capita Ezechielii abiudicandi, sed haec ratio nullius momenti est praesertim adversus constantem traditionem, quae integram librum Ezechielii semper adscripsit.

E. *Prophetia Danielis.*

Daniel de tribu Iuda si non regia saltem nobili stirpe natus adhuc adolescens anno quarto regis Ioaachim (A. C. 606) a Nabuchodonosor Babylonem deportatus est, ibique una cum Anania, Azaria et Misael pueris electus est qui speciatim educaretur ad famulatum Regis, eique nomen Babylonicum datum est *Balthassar* in textu *בְּקִשְׁטָאֲר* (Dan. I, 1-8 coll. 2 Reg. XXIV, 8, Ier. XXV, 1). In hoc statu constitutus tantum abest quominus profanis Babylonicorum moribus inquinaretur, ut potius legis Mosaicae observantissimus eximiae sanctitatis exemplam praebuerit. Adhuc puer castam Susannam ab atroci calumnia defendit, et a morte liberavit, suorum tranquillitati ac salutis vigilantissime consuluit, pro Divinae Legis observantia persecutiones sustinuit, et in foveam leonum non semel proiectus divina ope servatus est: supernis etiam charismatibus, prophetiae scilicet et facultate visiones interpretandi ita claruit, ut apud ipsos reges Babylonis magno honore affectus fuerit, et praecipua regni munera obtinuerit: verbo tanta eius sanctitas ac sapientia fuit ut apud Ezechielem XIV, 14-20, XXVIII, 3 cum sanctissimis Iob et Noe comparetur. Ad summam senectutem pervenisse Daniele ex eo apparet quod post captam a Cyro Babylonem adhuc in vivis fuisse dicatur, nam tertio Cyri anno visionem habuit quae C. X refertur (ib. v. 1).

Danielis prophetia in tres partes dividi potest. *Prima pars* (I-VI) historica est, et in ea narratur Danielis captivitas, deportatio, et educatio, nec non somnium Nabuchodonosoris de statua ex auro, argento, aere, ferro ac luto confecta, quam abscissis de monte lapillis contrivit, ipse vero lapillus in magnum montem excrevit; quod somnium Daniel de quatuor monarchiis (scilicet Babylonica, Persica, Graeca et Romana) interpretatus est, quibus successurum dicit novum spirituale regnum, Ecclesiam scilicet Christi usque ad finem mundi duraturam (Cap. I et II). Mox Danielis socii in ardentem fornacem immittuntur, eo quod recusassent auream regis statuam adorare, sed ab Angelo liberantur (III). Sequitur aliud Nabuchodonosoris somnium de ingenti arbore excisa, et vinculis ad terram alligata, quod somnium magi et arioli Chaldaeorum ex-

plicare non potuerunt, Daniel autem exposuit de ipso Nabuchodonosor regno expoliando, et inter feras relegando septem annis; quod post paucos menses eventu confirmatum est (IV). Denique in convivio Balthassaris Daniel ominosa illa verba *Mane, Thecel, Phares* in pariete descripta de imminente regis ruina interpretatur; quae interpretatio cum ipsa nocte eventa confirmata fuisset Danielis sapientia magis magisque admirationem omnium excitavit, ac Darius qui, Balthassare interfecto, eidem in regno successit magno in honore Danielem habuit, et ad suprema regni munera evehit, quamvis aliquando fraude Satraparum circumventus invitus ac reluctans eum ad leones damnaverit.

Secunda pars (VII-XII) continet illustres illas visiones de futura regnorum successione, et de epocha adventus Messiae in dimidio hebdomadis septuagesimae (annorum) occidendi: « Ab exitu, inquit, sermonis ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum duces, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursus aedificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. »

Tertia denique pars (XIII-XIV) deuterocanonica est; continet autem facta quaedam Danielis extra suum locum posita, scilicet historiam Susannae, et narrationem de idolo Bel, et de Dracone, quem Daniel occidit, eaque de causa in lacum leonum missus est, sed divinitus servatus effecit ut rex omnes subditos inberet Deum Danielis venerari. Textus libri Danielis est partim *Chaldaicus*, nempe a Cap. II, 4 usque ad Cap. VII, 28 ubi sermones et epistolae regis Babylonis nec non ipsius Danielis sermones coram rege habiti ipsa Babylonica lingua seu Chaldaica referuntur, partim vero *Hebraicus* sed pluribus Chaldaicis aliisque exoticis vocabulis permixtus; duo vero postrema capita, nec non canticum trium puerorum (III, 24-90) *Graece* tantum ad nos pervenerunt.

Danielem esse integri libri auctorem certissimum est. Non defuerunt tamen inter fidei hostes qui eius authenticam impugnant,

eo quod scilicet nullus fere sit sacrae Scripturae liber, qui magis ad Religionis veritatem demonstrandam valeat. Itaque ex antiquis Porphyrius, teste Hieronymo (praef. in Dan.), librum Danielis aetate Antiochi Epiphani scriptum voluit. Eum vero refutarunt Eusebius, Methodius, Apollinaris et Hieronymus. Obsoletum hunc errorem excitarunt recentiores Rationalistae praesertim Corrodi, De Wette, Gesenius, Bleek, Ewald, alique quos strenue refellunt non solum nostri Theologi ac interpretes sed multi etiam doctissimi ex parte protestantium imprimis Hengstenberg, Haevernik et Keil. Praestabit objectiones adversariorum paucis enotare et argumenta in favorem authenticae Danielis innuere.

Statim vero distinguenda est pars deuterocanonica a caeteris partibus proto-canonice. Contra primam, quae duo postrema capita Danielis et fere totum caput tertium complectitur, difficultates speciales et graviore afferuntur, de quibus sermo erit ubi de *Canon* SS. LL. agemus. Hic igitur solum indicabimus difficultates quas citati auctores contra totum librum generatim afferunt.

Obiectio 1^a Danielis liber contra historiam peccat cum Balthassarem ultimum Babyloniae regem nominat, de quo nihil ex historia profana scimus, eumque dicit filium Nabuchodonosor; item cum Darium Medium nominat pro Cyaxare II (Dan. IV, 2^a et 31). Haec autem Danieli sapientissimo et coaero auctori adscribi non possunt.

Obiectio 2^a Auctor libri vocibus nonnullis utitur Graecis, vel ex Graeco evidenter derivatis (praecipue in enumeratione instrumentorum musicorum C. III), quales sunt ex. gr. אָנָה קָרָן אֶרְצֵי (κρητύσσειν), קִיָּתְרוֹס (κιθάρη), סַמְבֻּזָּן (σαμβύκη), וּמִנְיָן (συμφωνία), פִּסְתִּיָּין (ψαλτήριον), et aliae nonnullae quae Hebraeis aetate Danielis ignotae erant.

Obiectio 3^a Si liber a Daniele scriptus esset sine dubio a Iudaeis in classe prophetarum collocatus fuisset, ubi et Aggaeus, et Zacharias, et Malachias reperiuntur qui post Danielem vixerunt. Iamvero librum hunc in classe *Chetubim*, seu Agiographorum Iudaei posuerunt. Insuper si Danielis esset liber auctor Ecclesiastici de eo mentionem fecisset in capite XLIX ubi propheta agiographos enumerat, Danielem vero omittit.

Obiectio 4^a In visionibus auctor res Persarum et Graecorum, praesertim eas quae spectant ad Antiochum Epiphaniem, ita clare

et ad vivum depingit ut manifestum sit eum *post factum* scripsisse, scilicet ipsa aetate Antiochi Epiphani vel paulo post.

Antequam his respondeamus breviter indicabimus argumenta quae Danielis libri genuinitatem demonstrant.

Imprimis auctor libri passim se Danielem vocat, et visiones sibi oblatas in persona Danielis refert hisce formulis: *Daniel somnium vidit* (VII, 1), *Ego Daniel... vidi* (VIII, 1), *Tu autem Daniel claude sermones etc.* (XII, 4) et aliis similibus. Quare vel Daniel est libri auctor, vel est impostor qui Danielis personam assumit, suasque fabulas pro Danielis vaticiniis obtrudit. Verum si hoc alterum esset quomodo tantam fidem liber iste apud Iudaeos invenisset, et Canonicis libris absque ulla haesitatione connumeratus fuisset? Accedit secundo, in primis sex capitibus ita minute res gestas Chaldaeorum, circumstantias locorum ac personarum, colloquia, Regum edicta referri ut auctorem coaevum et oculatum testem prodant; si qua sunt quae historiae contradicere videntur, ea potius confirmant libri genuinitatem, quam eidem officiant, ut postea videbimus. Denique stylus ipse, ac elocutionis indoles, quae partim Chaldaica est partim Hebraica Chaldaismis commixta in epocham Danielis, et in ipsum Danielem utriusque linguae gnarum apprime quadrant.

Internis hisce argumentis externa accedunt.

Siquidem et Hebraei longe ante epocham Antiochi librum hunc habuerunt, et tamquam canonicum venerati sunt, quod ex testimoniis Philonis et Iosephi Flavii constat, quorum alter, praeter locum alias citatum, etiam in libro XI antiq. Cap. 8 refert aetate Alexandri Magni eundem librum extitisse: narrat enim Alexandro Hierosolymam ingresso oblatum fuisse Danielis librum, in quo praedicebatur eum Persas debellaturum esse. Neque ulla unquam apud Hebraeos de Danielis libro extitit dubitatio. Accedit testimonium aliorum Agiographorum, et ipsius Christi, qui libri huius vaticinia Danieli adscribant. Omisso enim Ezechielis testimonio sup. cit., in libro 1^o Machabaeorum (II, 60) Mathias morti proximus filios suos adhortans Sanctorum exemplis ait: « Ananias, et Azarias et Misael credentes liberati sunt de flamma: Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum » quae quidem narrantur Dan. III, 50 et VI, 22. Christus autem Dominus Mt. XXIV, 15, Marc. XIII, 14 Danieli tribuit praecipuum illud vaticinium de 70 hebdomadibus,

« quum videritis, inquit, abominationem desolationis quae dicta est a Daniele propheta stantem in loco sancto etc. » (Dan. IX. 27). Denique Christianorum traditio tam unanims semper fuit in huius libri authenticam recipienda, ut nemo ex antiquis afferri possit qui de ea dubitaverit, et cum Porphyrius eam impugnavit ab omnibus doctoribus uno ore condemnatus ac strenue refutatus est: recentius autem nonnisi rationalistae ob praconceptum contra vaticinia errorem Porphyrii opinionem e tenebris revocare ausi sunt.

Nec quidquam adversus hanc veritatem valent quae superius prolata sunt. Siquidem

Resp. ad 1^o quamvis Balthassaris nomen in historia regum Babyloniae non recurat id tamen errorem in libro Danielis non arguit. Notum est enim Orientales illos reges variis nominibus appellatos fuisse, et speciatim de Balthassare Danielis Iosephus Flavius (Antiq. Lib. X Cap. 11) refert eum vocatum etiam fuisse Nabonetum, vel Naboandelum, vel Labynetum, quae nomina Graecis historicis ignota non sunt. Quod autem postremus hic Babylonius rex dicatur filius Nabuchodonosor non contradicit profanae historiae ex qua constat eum filium fuisse Evilmerodach filii Nabuchodonosor: hoc enim in usu loquendi Hebraeorum frequentissimum est ut nepos vocetur filius, et avus pater; quemadmodum ex gr. Gen. XXIX, § Labanus vocatur filius Nachor, qui tamen eius avus fuit. Denique primus Medorum rex qui in Babylone regnavit vocatur quidem a Daniele Darius Medus, sed hoc non repugnat historicis Graecis qui illum Cyaxarem vocant; nam Iosephus Fl. expresse monet hunc Darium Astyagis filium alio quoque nomine a Graecis vocari (scilicet Cyaxarem); aliunde autem notum est nomen *Darius* pluribus ex illis regibus commune fuisse, qui proinde variis epithetis invicem distingui debebant.

Resp. ad 2^o De vocibus Graecis in Daniele obviis dicimus eas minime demonstrare recentiore libri aetatem. Imprimis enim certum non est eas Graecae originis esse, quemadmodum de nonnullis vel de omnibus fatentur inter ipsos Rationalistas Rosenmüller (Schol. in Dan. XIV) et Gesenius (in Lexico): nec difficultatem facit similitudo etymologica quarundam vocum ex gr. *συμφορία*, *ψαλτηριον* etc. cum Graecis vocabulis; hoc enim a Graeco interprete repetendum est (ob aliunde notum Graecorum studium exoticas voces ad Graecam formam reducendi), non autem ex vera vocum ety-

mologia; quemadmodum praecipue apparet in voce *symphonia*, quae vox, spectata etymologia, et usu Graecorum, designaret totum instrumentorum et vocum concentum, in Daniele vero pro speciali instrumento ponitur. Possunt igitur voces istae esse originis Persicae vel Babylonicae (1) ita ut ab Oriente in Graecam linguam migraverint cum aliunde sciamus musicam Orientalium Graeca longe antiquiorem esse, et generatim constet quamplurima Graecos ab Orientalibus mutuatos fuisse. Verum demus eas voces graecae originis esse: nihil ex eo concludi posset contra authenticam Danielis. Quid enim prohibet dicere nonnulla Graecorum instrumenta cum suis nominibus iam aetate Danielis in Babyloniam delata fuisse? Sane Graecorum cultura aetate illa ad summum perfectionis gradum iam pervenerat neque historiae contrarium est supponere eos iam tunc in interiorem Asiam penetrasse, quamvis verum sit non tantum cum illis gentibus habuisse commercium quantum postea sub Alexandro Magno eiusque successoribus habuerunt.

Resp. ad 3^m Imprimis retorquendo contra adversarios argumentum; si enim, ut dicunt, liber iste serius sub Antiocho Epiphane conscriptus fuisset sub Danielis nomine, Hebraei illum neque inter *Agiographa* neque inter *Prophetas* retulissent, sed omnino e canone exclusissent. Praeterea locus quem in canone occupat liber Danielis non probat Hebraeos Daniele uti prophetam non habuisse; iam enim alias animadvertimus divisionem illam librorum in tres classes non ita accuratam esse, cum et plures historici libri inter *Prophetas* collocati inveniantur, ut Iosue, Iudices et Reges; Paralipomena autem, quamvis eiusdem generis sint ac libri Regum, inter *Agiographa* referantur, ubi pariter Psalmi Davidis reperiuntur cum tamen Davidem prophetam fuisse Hebraeis certissime persuasum esset. Quod altero loco dicebant adversarii Danielis nomen in libro Ecclesiastici Cap. XLIX omissum fuisse argumentum est mere negativum; neque enim propositum erat Siracidi omnes et singulos Hebraeorum *Agiographos*, aut sanctos viros enumerare: omittit enim etiam Iob, Esdras aliosque nonnullos.

Resp. ad 4^m adversariorum obiectionem ex eorum praesidio derivari, quod nempe vaticinium impossibile sit. Hoc enim praesidio

(1) Legatur de origine et significatione istarum vocum laudatum lexicon Gesenii, nec non lexicon Simonis auctum a Winer, et Rosenmüller loc. cit.

sublato nemo mirabitur Daniele aetatem Antiochi Epiphaniis diu post futuram graphice et ad vivum praesentasse. Hoc enim prophetis proprium erat ut res futuras quasi praesentes cernerent, et pro visionis claritate ac vivacitate aliis describerent quemadmodum ex. gr. Isaias Messiae passionem veluti praesens describit, et Malachias novi cultus novique sacrificii vivam imaginem exhibet et ita reliqui. Possibilitatem vero vaticinii demonstrare non est huius loci.

Haec de *Prophetis maioribus*. Sequuntur *duodecim Prophetarum minores*.

F. Oseas.

Oseas (hebr. *חושע*) filius Beeri vaticinatus est sub Ozia, Ioathan, Achaz et Ezechia regibus Iuda, et Ieroboamo II rege Israel, proindeque coevus fuit Isaias quocum magnam habet similitudinem. Eius propheta XVI capitibus constat. Argumentum autem eius est in prima quidem parte (I–IV) punitio Israelitarum praecipue ob crimen idololatriae, eorumque futura ad Deum conversio, sub qua typice etiam Gentilium ad Christum conversio adumbratur (V. Rom. IX, 25–27): in secunda vero parte (V–XIV) multa congeruntur vaticinia adversus Israel simul et Iudam, cuius captivitatem et sequenturam deinde liberationem Propheta sub oculis ponit. « *Et domui Iuda miserebor* (inquit c. I, v. 7, 11), *et salvabo eos in Domino Deo suo: et non salvabo eos in arcu, et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus... Et congregabuntur filii Israel pariter: et ponent sibi caput unum, et ascendent de terra: quia magnus dies Iezrahel.* » Et postquam dixisset c. IX, 16, 17 « *Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est; fructum nequaquam facient. Quod et si genuerint, interficiam amatissima uteri eorum. Abiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: et erunt vagi in nationibus* » eos ad poenitentiam invitat c. XIV, 2 inquam « *Convertere Israel ad Dominum Deum tuum: quoniam corruisti in iniquitate tua* » quod cum praesiterint « *Sanabo, inquit, contritiones eorum, diligam eos spontanee: quia aversus est furor meus ab eis. Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium, et erumpet radix eius ut Libani.... Convertentur sedentes in umbra eius: vivent tritico, et germinabunt quasi vinea; memoriale eius sicut vinum Libani. Ephraim quid mihi ultra idola? Ego exaudiam, et dirigam eum ego ut abietem virentem: ex me fructus tuus inventus est* (ibid. v. 5–10).

G. *Ioel.*

Secundus ex prophetis minoribus est *Ioel* (hebr. יוֹאֵל) filius Phatuel cuius propheta *tribus* tantum *capitibus* constat. Hieronymus existimat eum Oseae coevum fuisse, verum alii Ioelem antiquiorem faciunt Osea, et sub Rege Ioas prophetasse dicunt, alii contra posteriorem credunt et ad Ezechiae vel Manassis tempora referunt. Certe hebraici styli puritas atque elegantia non sinunt eum ad postrema regum tempora reicere. Praedicit Ioel mala Iudaeis inferenda a Chaldaeis, Persis, Graecis ac Romanis sub imagine materialis vastitatis camporum ac vinearum: « *Residuum erucae, inquit, comedit locusta, et residuum locustae comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo* » (I, 4). Tum vero populum ad poenitentiam hortatur, ac futuram praedicit singularem et mirabilem Spiritus Sancti effusionem in fideles Iudaeos, quod vaticinium post Christi mortem ac resurrectionem in die Pentecostes impletum est, ut expresse docet S. Petrus (Act. II, 16 seqq.): « *Et erit post haec: ait Propheta, effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae: senes vestri somnia somniant, et iuvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos, et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. Et dabo prodigia in coelo et in terra, sanguinem, et ignem et vaporem fumi... Et erit: omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit: quia in monte Sion et in Ierusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus; et in residuis, quos Dominus vocaverit* » (II, 28-32). Demum ad ultimum iudicii diem excurrit, et futuram Ecclesiae gloriam in coelesti patria describit: « *Ecce in diebus illis, et in tempore illo, cum convertero captivitatem Iuda et Ierusalem: congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Iosaphat: et disceptabo cum eis ibi super populo meo et haereditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, et terram meam dividerunt etc.* » (III, 1, 2)... « *Consurgant, et ascendant gentes in vallem Iosaphat: quia ibi sedeo ut iudicem omnes gentes in circuitu... Populi, populi, in valle concisionis: quia iuxta est dies Domini in valle concisionis. Sol et luna obtenebrati sunt, et stellae retraxerunt splendorem suum* » (ibid. 12-15). Absoluto autem iudicio: « *Erit Ierusalem sancta, et alieni non transibunt per eam amplius... et Dominus commorabitur in Sion* » (ib. 17, 21). Hieronymus in saepius laudata epistola: « *Ioel, inquit, filius Phatuel describit terram duo-*

decim tribuum eruca, brucho, locusta, rubigine vastante consumptam; et post eversionem prioris populi effusum iri Spiritum Sanctum super servos Dei, et ancillas, id est, super centum viginti credentium nomina, et effusum iri in coenaculo Sion. Qui centum viginti ab imo usque ad quindecim paulatim, et per incrementa surgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in Psalterio mystice continentur. »

H. *Amos.*

Tertius inter minores prophetas in textu Hebraico et Vulgata latina est *Amos*, quem LXX interpretes secundo loco ponunt. *Amos* (hebraice עָמוֹס) pastor fuit ex Thecua parva urbe in tribu Iuda ad meridiem Ierusalem, et sub Ieroboamo II rege Israel, et Ozia rege Iuda prophetavit (Am. I, 1, VII, 15). Eius propheta IX *Capitibus* constat. Hic propheta ad Israelitas praecipue missus est, quorum crimina vehementer redarguit, et futuram regni ruinam et populi captivitatem praenunciat, quibus etiam multa admiscet contra vicinos populos Syros, Tyrios, Philistaeos, Idumaeos et Ammonitas. In fine tamen Iudaeos solatur praedicens eorum reditum ex captivitate, et restaurationem regni Davidis, sub cuius figura mystice designat spirituale Messiae regnum, ut S. Iacobus (Act. XV, 16) testatur.

« *In die illa (ait Amos) suscitabo tabernaculum David, quod cecidit: et reaedificabo aperturas murorum eius, et ea quae corruerant instaurabo: et reaedificabo illud sicut in diebus antiquis... Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et comprehendet arator messorum, et calcator vvae mittentem semen, et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt. Et convertam captivitatem populi mei Israel: et aedificabunt civitates desertas, et inhabitabunt... Et plantabo eos super humum suam; et non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus* » (IX, 11-15.).

I. *Abdias.*

Quartus est *Abdias* hebr. עֲבְדִיָּה (quod significat *servus Dei*). Hic breve edidit vaticinium (*caput unum*) adversus Idumaeos, sublimissimum tamen et gravissimum, ita ut de eo recte dixerit Hieronymus: « *Abdias parvus supputatione versuum, non sensuum* » et in epistola ad Paulinum argumentum huius prophetae paucis eleganter complexus: « *Abdias, inquit, qui interpretatur servus Dei,*

peronat contra Edom sanguineum terrenumque hominem, fratris quoque Iacob semper aemulum hasta percussit spiritali: » notum est Edom, a quo Idamaei dicti, cognomen fuisse Esau, qui Iacob frater et aemulus fuit.

Quo tempore prophetaverit Abdias incertum est: Hieronymus tamen (praef. in Abdiam) refert Hebraeorum traditionem qua credebatur Abdiam sub Achabo rege Israel vaticinatum fuisse, et in speluncis prope Samariam centum prophetas pavisse, qui non curvaverant genua ante Baal: addit etiam sepulcrum Abdiae adhuc sua aetate in urbe Sebaste conspicuum fuisse.

K. Ionas.

Quintus est *Ionas* (heb. יוֹנָתַן quod *columbam* significat) Amathi filius, qui solus inter prophetas ad gentiles, Assyrios scilicet, missus est. Cum autem iussa facere formidaret conatus est a facie Domini fugere, et in loppe navem conscendit, ut in Tharsis pergeret. Deus vero qui illum ad officium revocare volebat gravem immisit tempestatem, ad quam sedandam Ionas crimen suum confessus a nautis in mare proiectus est. Cum autem ab immani cete deglutitus fuisset, in eius ventre triduo, divina ope, servatus incolumis ad litora Palaestinae reductus et expositus est (I, II.). Mox iterum iussus Assyriis praedicare, Ninivem amplissimam urbem ingressus coepit Ninivitas ad poenitentiam hortari, imminetentem urbis ruinam praedicens nisi respicerent: « *Ahuc, inquebat, quadraginta dies, et Ninive subvertetur.* » Cum vero rex et populus terrore percussi poenitentiam egissent Deus illis pepercit (III.). Tunc Ionas videns vaticinium suum effectum non habuisse in animi moerorem incidit, et mortem desideravit: cumque ad Orientem civitatis sub umbra arbasti cuiusdam sederet, Deus, immisso animalculo, quod plantam corroderet, una nocte arbastum arefecit. Ad plantae ruinam Ionas vehementer iratus est eo quod eum a solis aestu defenderet; Deus autem illum reprehendit quod mortem unius plantae tam vehementer doleret, nihil autem curaret de ruina tam ingentis hominum multitudinis, qui in Ninive civitate degebant, sed potius moerore afficeretur quod a Deo servati fuissent. Tota haec historia una cum Ionae cantico (II, 3-10) *quatuor capitibus* continetur, de qua multa curiose investigari solet praesertim de pisce qui Ionam deglutivit, et de planta ad cuius umbram sedit propheta. Hic sufficiat animadvertere ad primum, in textu

Hebraico nullum speciale nomen adhiberi sed *pisce grandem* Hebr. דָּג בְּדוּל nominari: vulgata Latina (Math. XII, 40) *cetum* vocat, quae tamen denominatio pariter pluribus marinis monstis communis est: vulgo tamen creditur balenam fuisse, quae Ionam servavit, cum haec sit maximae molis inter cete, eiusque venter hominem commode capere possit. Ad alterum vero, notissima est quaestio inter Hieronymum et Augustinum de nomine plantae, sub qua sedit Ionas, cum alii iuxta Graecos interpretes *cucurbitam* dicerent, Hieronymus vero *hederam* redderet. Hebraice vocatur קִיקָיוֹן (*kikaion*) quod, teste Hieronymo, qui in Palaestina diu vixerat, proprie nec hederam nec cucurbitam, sed aliud virgulti genus est latis foliis et densissima umbra, cui tamen cum nullum latinum vocabulum respondeat Hieronymus in versione *hederam* posuit. Nonnulli cum Michaeis existimant *kikaion* esse *ricinum*, quod veteribus Latinis ignotum erat.

Qua aetate Ionas vixerit incertum est. Iosephus (Antiq. IX, 10) eum sub Ieroboamo II vixisse ait, ideoque Isaiae et Oseeae coaevum esse: quod etiam ex 4 Reg. XIV, 25 colligi posse videtur. Pulchre Hieronymus de Ionae prophetia ait: « Ionas, columba pulcherrima, naufragio suo resurrectionem Domini praefigurans mundum ad poenitentiam revocat, et sub nomine Ninive gentibus salutem nuntiat. » Rex Ninive qui ad Ionae praedicationem una cum populo poenitentiam egit (Ion. II, 6-9) videtur fuisse Phul pater Sardanapali.

L. Michaeas.

Michaeas (heb. מִיכָה Michah) ex Morathi Palaestinae pago prope Eleutheropolim floruit sub Ioathan, Achaz et Ezechia (Mich. I, 1. Ier. XXVI, 18, 19). Eius vaticinium *septem capitibus* comprehenditur, et totum est adversus Israel et Iudae regna, et urbes principes Samariam et Ierusalem, quarum excidium disertis verbis praenunciat. Samariae scilicet ruinam praedicit in Cap. I, 6: « *Et ponam, inquit, Samariam quasi acervum lapidum in agro cum plantatur vinea: et detraham in vallem lapides eius et fundamenta eius revelabo.* » Ierusalem autem excidium describit illis verbis Cap. III, 12: « *Propter hoc causa vestri (principes et iudices Iudaeorum) Sion quasi ager arabitur, et Ierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum.* » Postea vero venturum Messiam praedicit, eumque ait in urbe Bethlehem nasciturum, per quem salus populo afferenda sit: « *Et tu, inquit, Bethlehem Ephrata parvulus*

es in millibus Iuda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis » (V, 2).

M. Nahum.

Nahum (hebr. נְחֻם quod *consolatorem* significat) Elcesaeus vocatur in principio prophetiae I, 1: « Liber visionis Nahum Elcesaei » quod quidem alii explicant de patria prophetae cum *Elcesi* parvus vicus fuerit in Galilaea, teste Hieronymo; alii vero explicant de patre Nahumi, quem Elcesaeum appellatum fuisse Hebraei scriptores tradiderunt. Brevis prophetia Nahum (III *capita*) tota est contra Ninive civitatem sanguinum, quam praedicit a Chaldaeis humiliandam, et excindendam, et neminem fore qui de eius ruina doleat, aut eam consoletur. Quod vaticinium circa annum 625 ante Christum impletum est, cum Cyaxares et Nabopolassar Ninivem subverterant. Haec quidem stylo valde poetico ac vehementi a propheta exponuntur. Pulcherrima est descriptio exercitus Chaldaeorum properantium ad destruendam Ninive cap. II, v. 1-3: « Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem.... Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus eius in coccineis: igneae habenae currus in die praeparationis eius, et agitantes eius consopiti sunt. In itineribus conturbati sunt: quadrigae collisae sunt in plateis (prae multitudine, et festinatione): aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia. Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis: velociter ascendent muros eius. » Mox sequitur expugnatio Ninive, militum ac populi strages, et captivitas, honorumque direptio (v. 6-11). Extrema haec calamitas iterum in c. III vivide describitur per figuram apostrophes: « Vae civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena: non recedet a te rapina. Vox flagelli, et vox impetus rotae, et equi frementis, et quadrigae ferventis, et equitis ascendentis, et micantis gladii, et fulgurantis hastae, et multiudinis interfectae, et gravis ruinae: nec est finis cadaverum, et corruent in corporibus suis.... Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum.... et proiciam super te abominaciones, et contumeliis te afficiam, et ponam te in exemplum. Et erit: omnis, qui viderit te resiliit a te, et dicit: vastata est Ninive: quis commovebit super te caput? Unde quaeram consolatorem tibi? (III, 1-7). Et iterum in fine cap. III: « Non est obscura contritio tua: pessima est plaga tua: omnes qui audierunt auditionem tuam compresserunt manum super te (Chaldaeus habet: comploserunt super te manibus

laetantes): quia super quem non transiit malitia tua semper? » Hac scilicet de causa nulla gens dolebit de Ninives eversione, sed contra ut laetum nuntium haec accipient.

De aetate Nahum critici non conveniunt. Iosephus Flavius (Antiq. IX, 2) ait prophetam hunc ruinam Ninive praedixisse ante centum quindecim annos, et tunc vaticinium sub regno Achaz editum fuisset, reliqui tamen Hebraei illud ad sepocham Manassis referunt, Hieronymus vero ad tempora Ezechiae.

N. Habacuc.

Octavus inter minores prophetas est Habacuc (hebr. חֲבַקּוּךְ) quem Graeci Ἀββακούκ vocant. Hic brevem quidem (III *capita*) sed sublimissimam prophetiam edidit in qua futuram Iudaeorum vastationem per Chaldaeos, et rursus ipsorum Chaldaeorum et Babylonis excidium poetico et concitato stylo sub oculos ponit; sub quorum eventum imagine venturi Messiae de spiritualibus hostibus triumphum, et humani generis liberationem adumbrat. Duo prima capita proprie vaticinium continent, tertium autem pulcherrimam illam orationem, seu canticum exhibet, quod incipit: « Domine audivi auditionem tuam et timui » etc. quo etiam Ecclesia in divinis officiis utitur. In cap. I vivis coloribus describitur vastatio Iudaeae per Chaldaeos: « Quia ecce ego suscitabo Chaldaeos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terrae, ut possideat tabernacula non sua. Horribilis, et terribilis est: ex semetipsa iudicium et onus eius egredietur. Leviores pardis equi eius, et velociores lupis vespertinis; et disfundentur equites eius: equites namque eius de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. Omnes ad praedam venient, facies eorum ventus urens (omnia ante se vastans), et congregabit quasi arenam captivitatem (seu turbam captivorum). Et ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi eius erunt: ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam. » Verum cum his triumphis elati Chaldaei arrogantiores in dies evaderent, et a vero Deo aversi in suis idolis confiderent, dolet propheta de eorum prosperitate, et cap. II a Deo quaerit quomodo haec cum eius providentia conciliari possint: « Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem: et contemplantur, ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. » Responsum autem accipit a Domino, ipsos nempe Chaldaeos exemplari poena afficiendos ob sua

crimina, et ob negatam Deo gloriam: « *Quia tu spoliasti gentes multas (inquit ad Babylonem conversus), spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, et iniquitatem terrae civitatis et omnium habitantium in ea.... Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, et imaginem falsam?.... Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie eius omnis terra.* » Denique in c. III canticum solvit ob iustam poenam sumptam de hostibus populi, et ob vindictam a calumniis Dei gloriam. Mysticum simul ac literalem Habacuc sensum eleganter Hieronymus perstringit hisce verbis: « Habacuc, luctator fortis et rigidus (1) stat super custodiam suam, et figit gradum super munitionem, ut Christum in cruce contempletur et dicat: operuit coelos gloria eius, et laudis eius plena est terra, splendor eius ut lux erit, cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius » (III, 3, 4).

Aetas Habacuc incerta est. Multi tamen cum Hieronymo existimant hunc prophetam eundem esse ac prophetam Habacuc, qui ab Angelo ductus est ad Danielem in foveam leonum proiectum, ut ei cibum subministraret (Dan. XIV, 32 seq.). Quod si verum esset vixisset propheta initio captivitatis Babylonicae, et paullo ante vaticinium suum edidisset, quod quidem etiam ex eius cantico (vers. 16, 19) fortasse confirmari potest.

O. Sophonias.

Sophonias (hebr. ספניה *quod est speculator Domini*) Chusi filius, vaticinatus est sub Iosia rege Iuda. Brevis eius propheta (III *capita*) partim adversus Iudaeos dirigitur, quos vehementer redarguit ob crimen praesertim idololatriae, mox vero ad poenitentiam hortatur, futuram legem a Messia promulgandam, et consequentem Iudaeorum omniumque fidelium tranquillitatem, sanctitatem, ac multitudinem praedicens (c. I-II, 1-3, III), partim vero dirigitur adversus exteras gentes Philistaeos, Moabitas, Ammonitas, Aethiopes et Assyrios (cap. II, 4-15). Contra Iudaeos invehitur c. I, 1, 2 seq. « *Extendam (dicit Dominus) manum meam super Iudam, et super omnes habitantes Ierusalem: et disperdam de loco hoc reliquias Baal et nomina aediorum cum sacerdotibus: et eos qui adorant super tecta militiae caeli (scilicet sidera), et adorant et iurant in Do-*

(1) Haec enim est nominis significatio ex radice סחב.

mino, et iurant in Melchom... Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris a porta piscium (una ex portis Ierusalem), et ululatus a secunda (alia porta urbis in secundo muro), et contritio magna a collibus. Ululate habitatores Pilae (erat vicus in inferiori parte urbis): conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes involuti argento. Et erit in tempore illo: scrutabor Ierusalem in lucernis etc. » Postea vero ad Messiae tempora excurrens (c. III, 14, 15, 20) laetiora annunciat: « *Lauda filia Sion; iubila Israel, lactare, et exulta in omni corde, filia Ierusalem. Abstulit Dominus iudicium tuum, avertit inimicos tuos: rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra.... Dabo enim vos in nomen, et in laudem omnibus populis terrae, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.* »

P. Aggaeus.

Omnes laudati prophetae ante captivitatem Babyloniam, vel ea durante floruerunt, ac vaticinati sunt: tres vero reliqui, *Aggaeus, Zacharias, et Malachias* post reditum ex captivitate munus propheticum obierunt.

Aggaeus itaque (Hebr. אגאי, quod *festivum* significat), anno II Darii filii Hystaspis (A. C. 520) prophetare coepit, ut ex eius prophetae exordio discimus. Obiectum eius prophetae (II *capita*) est templi Hierosolymitani reaedificatio, quam Iudaei aliquantum intermiserant, dum, domo Dei neglecta, suis domibus ac palatiis aedificandis alacriter instabant. Eos igitur redarguit, simulque Iudaeorum seniores consolatur, qui primi templi (idest Salomonici) splendorem recordabantur, et inferiorem novi templi structuram dolebant, praedicens hoc alterum templum adventante ad illud Messiae prioris gloriae superaturum: « *Quis in vobis (inquit) est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima?.... Et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum* » (II, 3, 8-10). Haec omnia confirmantur ex libro Esdrae, qui de Aggaeo eiusque prophetae historice mentionem facit (1 Esdr. V, 1 seq.). De his ita Hieronymus: « *Aggaeus festivus et laetus, qui seminavit in lacrymis ut in gaudio meteret; destructum templum aedificat, Deumque Patrem inducit loquentem:*

adhuc unum modicum, et ego commovebo coelum et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus » (Agg. II, 7, 8).

Q. *Zacharias.*

Zacharias (hebr. זַכְרְיָהוּ, seu *memor Dei*) filius Barachiae filii Addo, coaevus fuit Aggaei, eodemque anno vaticinatus est, eandem templi restorationem urgens: quare duo isti prophetae simul coniunguntur in citato Esdrae loco, ubi tamen Zacharias filius Addo dicitur, omisso scilicet Barachiae patris nomine, quod saepe fit in genealogiis Hebraeorum. Prophetia Zachariae paulo longior est (XIV capita), simulque obscurior caeteris prophetis minoribus, ut a Hieronymo etiam notatur (Prol. in Zac.). Totus autem liber in duas partes dividi potest. *Prima pars* (I–VIII) continet octo visiones, in quibus symbolice adumbrantur futuri Iudaeorum eventus partim laeti, partim tristes; in cap. vero VII de ieiunio sermo fit quod Hebraei occasione praecedentium calamitatum instituerant, et in cap. VIII futura Ierusalem gloria et felicitas, scilicet temporalis quidem iuxta litteram, mystice vero spiritualis per Messiam adducenda praenunciatur. *Altero vero pars* (IX–XIV) nonnulla continet vaticinia adversus Syros, et Philistaeos (cap. IX). Mox vero propheta ad Iudaeos redit, eisque praedicit imprimis Messiae adventum, quem *humilem et mansuetum* describit *iuvento insidentem*, et pacem universo mundo afferentem, cuius aetate *spiritus gratiae et precum* super fideles Iudaeos effundendus sit, et Iudaei *aspicient in Christum quem confaerunt*, eiusque mortem lugebunt (XII–10). Haec paucis eleganter innuit Hieronymus hisce verbis: « Zacharias me » mor Domini sui, multiplex in prophetia, Iesum vestibus sordidis » indutum, et lapidem oculorum septem; candelabrumque aureum » cum totidem lucernis quot oculis: duas quoque olivas a sinistris » lampadis cernit et dextris: ut post equos nigros, rufos, albos et » varios, et dissipatas quadrigas ex Ephraim, et equum de Ierusalem, pauperem regem vaticinetur, et praedictet sedentem super » pullum filium asinae subiugalis. » Nonnulli ex Rationalistis secundam partem vaticinii Zachariae abiudicare ausi sunt, aut saltem tria capita nempe IX–XI: ita post Flügge, Michaelis, Bauer, Ewald, Mejer alique nonnulli, qui tamen mirifice inter se discordant in origine horum capitum adsignanda; nam alii ea multo recentiora existimant et aetate Alexandri Magni, vel etiam Macha-

baeorum conscripta; alii contra antiquiora esse affirmant aetate Zachariae eaque ad Achazi aetatem referunt. Frustra tamen haec probare conantur. Siquidem tota Iudaeorum traditio integrum librum Zachariae adscribit, atque eius nomine integra propheta collocata est in canone Hebraeorum ipsius Zachariae aetate ab Esdra confecto. Accedit nullum in ipso libro vestigium occurrere diversorum auctorum: secunda enim pars cum priore connectitur: auctorem ostendit post captivitatem Babylonicam scribentem (X–6, et XIII, 8–9 ubi Ezechielis propheta laudatur), stylus etiam et peculiare loquendi formae similes occurrunt nec non vaticiniorum argumentum saepe idem est. Adversariorum difficultates levissimae sunt. Dicunt enim:

1° Altera pars diversum a priore auctorem praesertit; nam prioris stylus planus et prosaicus est, posterioris poeticus et metricus: insuper prima pars visiones refert et symbolicas actiones, altera vero nihil huiusmodi continet: denique prima pars Messiam describit gloriosum et solum in medio potentis ac felicitis populi tenentem, altera vero Messiae ignominiam, passiones, transfixionem mortemque narrat. Ergo alius est a Zachariae secundae partis auctor.

Resp. Differentiae ab adversariis notatae nequaquam ostendunt diversos utriusque partis auctores. Potuit enim unus idemque propheta librum suum partim prosa, partim versu exarare, quod etiam in aliis prophetis aliquando occurrit ut ex. gr. in Isaia, Osea, et Iona in quibus plura occurrunt metricae conscripta; quod autem prima pars prosa oratione constet id etiam exemplo aliorum prophetarum conforme est; visiones enim et symbolicae actiones quae in ea parte continentur etiam apud Ezechiel et Oseam historico planoque stylo referuntur. Verum quoque est primam tantum partem visiones continere, alteram vero sermones propheticos; sed hoc nihil iuvat adversarios, nam etiam Ezechiel, Oseas et Daniel modo visiones ac symbola, modo vero sermones exhibent. Denique mirari non debemus unum eundemque prophetam tum gloriam tum passiones Messiae referre: neque enim haec contraria sunt sed utraque in Christo implenda erant, et alii quoque prophetae utramque Messiae adspectum gloriosum nempe et humilem representare solent: ita ex. gr. Isaia, qui in cap. VII–XI Christi gloriam ac triumphos magnifice describit, postea in cap. LII et LIII eum sistit *pericussus a Deo et humiliatum, virum dolorum et scientem infirmi-*